

U N G A R I A  
S U I S C U M  
R E G I B U S

COMPENDIO DATA,  
A P. LADISLAO TURÓCZI,  
E SOCIETATE JESU.

NOVISSIMA HAC EDITIONE AUCTA,  
ELIMATA,

ET AD NOSTRAM USQUE ÆTATEM  
P R O D U C T A.



T Y R N A V I A E,

---

TYPIS COLLEGH ACADEMICI SOCIETATIS JESU,  
ANNO M. DCC. LXVIII.

diant, quin alium adhibeant salem. „Fons item habetur in vico *Neogradiensis* provinciæ, *Sos-bartány* a sale nominatus, cujus aquæ largum, purumque salem præbent, si igne vehementiore decoquantur. Pecori adaquando fontem adhibent incolæ; quin & farinam eadem aqua subigunt, ubi coquendus panis est. In *Liptovia* mons *Kriván* major, subjectam habet paludem salinam; argumento, Liptovienses montes salis feraces esse. „

*Lapidifera.* Nec illud omittendum, quod in *Scepusiensi* plaga aquæ scaturiant, quæ ubi a natali solo paululum progrediuntur, in lapides abeant. Atque istiuscemodi succrescentium de undis lapidum cumulos videre est ad ædem S. Martini propius Arcem Scepusiensem. Idem fit & ad vicum D. Andreae; & alio in loco, ubi si lignum aquæ immerferis, lapide vestitur. „Ad vicum *Ag-Telek* provinciæ *Gyömöriensis* caverna reperitur, in qua superne destillans aqua in candidum ablit lapidem, & si conteratur, coloris albicantis usum pictoribus præbet. In monte *Tlsta* antrum ingens panditur *Mazara* dictum; parietibus antri autumnis in eunte papilionum quoddam genus adhærescit, & sensim stillantibus aquis crusta lapidea obducitur. In Liptoviensi antro *Benikova* dicto, diversi spectantur fonticuli, alii rotundi, alii tres, quatuorve orgias longi, duas lati, & veluti data opera, lapidea macerie invicem separati. Aqua restagnans limpidissima & extra modum perfrigida, ut rigorem ejus vix momento temporis immissa manus tolerare possit. Hau-  
ritur

ritur tamen ab iis magna salubritatis opinione, qui doloribus calculi divexantur; quasi in corpore humano solyeret lapidem, in quem suapte natura latex hic concrevit. In agro *Tatensi* aquæ passim prorumpentes, jam ramos cum foliis, & manipulos straminis, jam fragmenta varia humi forte abjecta, pisces etiam integros & arundinem stantem crusta lapidea inducunt. In *Silva Boldog-kó* repertus est an. MDCCLXVI. truncus arboris in petram concretus, qui centenarios XIV. & XL. libras appendit. In monte *Nadhuti* specus longo ductu in montis viscera protenditur, quem destillans passim aqua, & in lapidem concrevens, memorabilem apud Liptovienses facit. Idem in vertice montis *Chotsch* fonte gloriatur, viridis aquæ, ejus virtutis, quæ injecta ligna, vel arborum folia, biennio lapide vestiat. Immo & fontes acidi nonnulli hac eadem virtute pollent. *Bessenoviensium* acidulorum in Liptovia, aquæ dimanantes sensim in lapidem coeunt, topho similem, utilemque fornicum concamerationibus. Id quod & *Nagy-Selmecziensium* vicus in eadem provincia habet: namque & hic fons est acidarum, cujus aquæ, ubi e fonte, qui in colle salit, defluerunt, sorbetur illico, pumicemque post se relinquunt levem omnino, & spongiæ instar porosum. Aquæ etiam calidæ *Stubnenses* in *Turocziensi*, *Ribarienses* in *Zoliensi* provincia in tophum crescunt, illæ quidem prope ipsum canalem, per quem effluunt, hæ vero cespitem crusta lapidea liberaliter induunt. *Stubnensis* tophus vulneribus etiam mede-